



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

de remedio crapulæ. cap. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

porea quæ nouimus, nobis insinuet. Maxima enim summaque esse, & in paradiso gaudia, & in inferno supplicia credendo confitemur, quanta autem vel qualia sint fando explicare nescimus, & si maiora sunt quam dici queant, omissis omnibus hæc sola cauere sola illa maxime expetere debemus.

De remedio crapulæ.

Cap. xxv.

IGitur quoties tibi in conuiuio esse cõtigerit, ubi & uina pretiosa & sapidæ exquisitæque dapes proponantur, ne talium dulcedine captus ad intemperantiam declines, cogita quanto dulcius iucundiusque sit deo frui, quam istis obrui. Rursum cum tibi molesta esse cõperit abstinentia, mente reuolue, quanto molestius sit in inferno torqueri quam hic uentri multa exigenti modica tribuere. Ira enim & quæ grauant æquo animo pferes, & ab ijs quæ pernitiola suauitate demulcent, prudenter cauebis, hortante præsertim domino ac dicente: Attendite autem uobis, ne forte grauentur corda uestra in crapula & ebrietate & curis uitæ huius & superueniat in uos repetina dies illa. Horum profecto quæ tibi proponimus modo, si memor fueris iam cautior continentiorque factus neque cum filiis Heli carnes de cacabo rapies, ne deum offendas & morte mulcteris; neque cum Esau pro edulio lentis primogenita tua uendes ne patris benedictionem amittas: neque cum Israhelitis iurulentias Aegypti concupisces, ne in deserto intereas & ad terram promissionis transire non possis: neque cum Adamo & Eua ieiunij tempore uentos cibos attinges, ne de paradiso eiectus miserijs obruaris. Immodicæ autem comestationis potissima mala sunt, quod futurorum bonorum quæ in deo sunt cogat obliuisci, dũ præsentibus delinit ac blanditur dicente domino. Cum comederint & saturati crassique fuerint conuertentur ad deos alienos & seruient eis, quod etiã castitati aduerset, & in libidinem pronos reddat: de quo in Ieremia conuenitur deus, & ait, Saturauit eos & merchati sunt, &

Luca. 21.

1. Reg. 2.

Gene. 25.

Exo. 16.

Gen. 3.

Deu. 31.

Iere. 5.

in domo meretricis luxuriabatur, equi amatores in fe-
 minas & emissarii facti sunt, vnusquisque ad vxorem
 proximi sui hinniebat. Et in Ezech. Ecce (inquit) hæc Ezech. 16.
 fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abun-
 dantia & otium ipsius. Quanto igitur melius penuri-
 am pati & continentia virtute abundare, quam copia
 rerum affluere & turpis luxuriæ sordibus inquinari?
 Quanto præstabilius obseruandis ieiunijs operam da-
 re. & abstinentia superbiæ fastumque contundere, quàm
 crapula inflatum neque bonorum neque malorum quæ
 futura sunt meminisse, & a deo recedere? Quod crimen Amos 6.
 illorum fuit, in quos per Amos, prophetam exclamat
 deus: Væ vobis qui opulenti estis in Sion & confiditis
 in montem Samariæ, optimates capita populorum in-
 gredientes pompaticè domum Israel. Quod hic de opu-
 lentis in Sion est dictum vtinam de opulentis Christia-
 næ ecclesiæ dici non possit, ne quis nouus Nabuchono-
 sor merito in illos irruat, & peccatis ita exigentibus
 aurum argentumque omne diripiat, & ad suam cuncta
 transferat Babilonem quæ nunc non in vsum rei diuinæ
 sed magis in opera diaboli verti solent. Hoc est in po-
 pinas ganeasque & obscenam corporis voluptatem lu-
 xumque vitæ cito finiendæ. Quicquid tamen futurum
 sit, hoc nobis relinquitur solatijs, quod licet vrbes re-
 gnaque destruantur, ipsa Christi religio, nullis homi-
 num viribus poterit aboleri. Quâuis cuncta defecerint,
 illa cui neque portæ inferni præualere queunt, non de-
 ficiet, & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides no-
 stra. Quæ si obteri vnquam potuisset, prius (vt egedem
 reor) pedibus multorum qui præsunt, quam eorumque
 persequuntur, obruta fuisset. Plurimi quippe ideo cle-
 ricatum profitentur, & ecclesiasticas ambiunt dignita-
 tes, vt ditentur, & cum ditati fuerint vt delicijs volu-
 ptatibusque fruantur, quibus in euangelio respondet do-
 minus, Am̄ amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis
 signa sed quia mâducastis ex panibus et saturati estis. Et quæ-
 ritiam voluptariam vitam æterni supplicij dolor sequitur, vt
 eadem dicitur, Væ vobis qui saturari estis, quia esurietis. Lucæ 6.